

v.1 Quis me fervor agit ? Nova sunt suspiria menti.
2 Anne aliquis deus est nostro vehementior arcu ?
3 Quem mihi germanum fato fraudante creavit
4 diva parens ? Satis an mea spicula fusa per orbem
5 vexavere polum laesusque in tempore mundus
6 invenit poenam ? Sed si mea vulnera novi,
7 hic meus est ignis : meus est, qui parcere nescit.
8 In furias ignesque trahor ! Licet orbe superno,
9 Juppiter, et salsis undis, Neptune, tegaris,
10 abdita poenarum te cingant Tartara, Pluton,
11 impositum rumpemus onus ! Volitabo per axem
12 mundigerum caelique plagas pontique procellas
13 umbriferumque Chaos ; pateant adamantina regna,
14 torva venenatis cedat Bellona flagellis !
15 Poenam mundus amet : stupeat vis major ! Anhelat
16 in se saevus Amor fraudemque in vulnere quaerit !